

cum affinitas non pariat affinitatem, neque promanet inter consanguineos uxoris et consanguineos viri, aut vice versa, sed tantum inter mulierem cognitam et consanguineos viri cognoscentis, et vicissim inter virum cognoscentem, et consanguineos mulieris cognitae contrahatur; hinc fit, ut duo unius familiae fratres duabus alterius familiae sororibus nubere possint, pater et filius unius familiae matrem et filiam alterius familiae in uxores ducere. « Super eo, » inquit idem Pontifex Innocentius III cap. Quod super de Consang. et Affin., « quod pater et filius cum matre et filia, avunculus et nepos cum duabus sororibus contrahant matrimonium, taliter tibi duximus respondendum, quod licet omnes consanguinei viri sint affines uxoris, inter consanguineos tamen uxoris et viri, ex eorumdem scilicet viri et uxoris conjugio, nulla est prorsus affinitas contracta, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri. » Similiter matrimonium valide contrahi potest inter vitricum et uxorem privigni, uti late probat Benedictus XIV de Synod. Dioeces. lib. 9 cap. 12, aliaque ejus generis matrimonia iniri queunt.

Pro dignoscendis gradibus affinitatis haec regula traditur: quoto gradu persona quaelibet est consanguinea viro cognoscenti, eodem gradu fit affinis mulieri cognitae; idque in linea recta vel obliqua. Hinc mater et filia mulieri eisdem consanguineae in primo gradu lineae rectae, eodem gradu in linea recta fiunt affines viro: soror quae mulieri est consanguinea in primo gradu lineae obliquae, eodem gradu in linea obliqua fit affinis viro, et sic de caeteris. Affinitas ex copula licita sive conjugali promanans matrimonium dirimit ad quartum usque gradum inclusive: « Prohibitio copulae conjugalis quartum gradum de caetero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari. » Ita statutum est a Concilio Lateran. IV can. 50, quo impedimentum istud latius antea patens coercitum est. Si vero affinitas ex copula illicita seu

fornicaria aut adulterina exoriatur, ex decreto Synodi Tridentinae sess. 24 cap. 4 de Ref. Matrim. ad secundum tantum gradum inclusive nuptias dirimit; ibi: « Praeterea S. Synodus gravissimis de causis adducta impedimentum quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, et matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum qui in primo et secundo gradu conjunguntur, restringit; in ulterioribus vero gradibus statuit hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere. » Quod quidem uberius adhuc S. Pius V in Constit. Ad ROMANUM declaravit, ubi ait: « Nos omnem ambiguitatem tollere, et animarum tranquillitati, quantum cum Deo possumus, consulere volentes declaramus et auctoritate Apostolica decernimus, nullum hodie impedimentum remanere, quominus in ulterioribus gradibus hujusmodi libere ac licite matrimonium contrahi possit. »

Affinitas in quolibet gradu lineae transversae solo jure ecclesiastico nuptias dirimit. Etenim in veteri lege viduam fratris vita functi in matrimonium ducere licuit; quin exstat lex Deuteronomii 25 sic expressa: « Quando habitaverint fratres simul, et unus ex his mortuus fuerit absque liberis, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus. » Quis autem in animum suum induxerit latam a Deo legem juri naturali contrariam? Hinc Romani Pontifices super hujusmodi impedimento interdum dispensarunt. At gravior difficultas est an affinitas in linea recta, et saltem in primo gradu ejusdem lineae jure naturali nuptias dirimat? Jam vero si affinitas ex illicita copula ortum habeat, Doctores facile consentiunt hujusmodi affinitatem lege tantum ecclesiastica validitati nuptiarum obesse, atque adeo Pontificem posse eam legem relaxare, quemadmodum Apostolica Sedes haud raro dispensat, ita tamen ut si hujusmodi affinitas proveniat ex copula cum matre desponsatae, nativitas desponsatae copulam ipsam antecedit. Affinitas enim quae ex fornicatione oritur, non est adeo perfecta atque illa quae ex legitimo matrimonio origi-

nem trahit; nam per matrimonium affines in linea recta praeferunt quamdam rationem inter se parentum ac liberorum; qua quidem ratione affines ex copula fornicaria destituuntur. Quamobrem, ut observat Sanchez lib. 7 disp. 63 num. 9 : « Sunt nomina imposita affinibus per copulam conjugalem : nulla sunt imposita affinibus ex copula fornicaria. » Itaque difficultas praecipua est, an affinitas ex copula licita seu matrimoniali inter affines in linea recta, et saltem in primo gradu, veluti inter socerum et nurum, socerum et generum, vitricum et privignam, novercam et privignum jure naturali nuptias irritet? Hujus difficultatis nodus nondum expeditus est. At videtur magis rationi et auctoritati consentanea sententia esse, quae putat quidem hujusmodi nuptias valde indecoras, non tamen naturali lege invalidas. Nam personae hujusmodi, puta noverca et privignus rationem parentum et liberorum re ipsa non habent sin fictione quadam, dum inter eos non occurrit vera ratio principii et principiatu, ut Scholastici loquuntur, et proinde non ea datur inter eos mutua auctoritatis et subjectionis relatio, iisque pudor et reverentia, quae debito conjunctionis ordini opponatur, quemadmodum inter patrem et filiam, inter filium et matrem reperitur. Haec sententia confirmatur auctoritate Conciliorum. Siquidem Concilium Agatense an. 506 can. 61 haec habet : « Si quis frater germanam uxoris acceperit, si quis novercam duxerit, quos omnes et olim, atque sub hac constitutione incestos esse non dubitamus, quod ita praesenti tempore prohibemus, ut ea quae sunt hactenus instituta, non dissolvamus. » Et Concilium Epaonense an. 517 can. 61 : « Incestos hos esse censemus, si quis relictam fratris quae pene prius soror exstiterat, carnali conjunctione violaverit, si quis novercam duxerit, quod a praesenti tempore prohibemus, ita ea quae sunt antea instituta, non solvimus. » Concinit Concilium Aurelianense III can. 10. Jam vero si hujusmodi conjugia lege naturali dirimerentur, tum fideles, tum etiam

infideles fidem Catholicam amplexi, quia legi naturali subsunt, ab hujusmodi uxoribus separandi omnino fuissent. Nihil tamen minus ejus generis matrimonia adeo inhonesta sunt et indecora, ut nullum exstet exemplum dispensationum super similibus nuptiis ineundis, quamvis Romani Pontifices pluries rogati fuerint.

§ 190.

DE IMPOTENTIA.

Impotentiam hoc loco vocamus inhabilitatem vel ex parte viri, vel ex parte foeminae ad matrimonium consummandum, perfectamque copulam habendam. Cum autem commercium carnale naturaliter compleri possit, etiamsi generatio non sequatur, non est judicanda impotentia, ut si mulier fuerit sterilis. Est autem impotentia vel naturalis et intrinseca, vel accidentalit et extrinseca. Prior ex naturae defectu, posterior ex maleficio, vel ex hominis opera proficiscitur. Utraque vel perpetua est, vel temporalis; perpetua est si nonnisi cum mortis periculo, aut per miraculum, aut per media illicita auferri possit. Temporalis vero dicitur, si queat aut medicae artis ope, aut per exorcismos Ecclesiae, aut aliis modis licitis superari. Tandem alia est absoluta, alia respectiva : absoluta est quae in viro respectu omnium mulierum, aut in foemina respectu omnium virorum reperitur; respectiva est quae aut virum aut mulierem respectu certae personae, non vero respectu aliarum omnium inhabilem reddit ad matrimonium consummandum. Quaelibet autem impotentia, si matrimonium praecesserit, antecedens; si jam contractum subsequuta sit, subsequens appellatur.

His praemissis haec apud omnes certa sunt : 1. Impotentiam temporalem sive antecedentem, sive subsequentem non dirimere matrimonium, cap. FRATERNITATI De frig. et malef.

Nam impotens ad tempus potest jus in corpus transferre cum obligatione copulae, ubi impotentia cessaverit : quemadmodum rite contrahitur obligatio ad id praestandum, quamvis praestare praesenti tempore non valeas, in posterum tamen poteris, aut saltem prudenter speras te fore in posterum solvendo parem. Hinc nuptiae impuberum, quandoquidem impotentia perpetua non est, irritae sunt jure tantum ecclesiastico, ac proinde poterit Pontifex dispensare. Quin ipso jure ecclesiastico impuberum conjugia valida sunt, si praecox malitia, et corporis aptitudo aetatem suppleat, et eo casu nulla opus est Pontificis dispensatione, sed sola Episcopi declaratione eos esse conjugio idoneos. 2. Impotentiam subsequentem, licet perpetuam, non dirimere matrimonium, tum quia omnis contractus natura est, ut per supervenientem rei mutationem non dissolvatur, tum praecipue quia vinculum matrimonii indissolubile omnino est. Idque locum sibi vindicat, etiamsi impotentia consummationem matrimonii praecesserit; siquidem semel validum matrimonium ob subsequentem quovis tempore defectum neque rite contractum esse cessat, neque ideo dissolvi potest. Relinquitur tantum hoc casu, ut ratum matrimonium dissolvatur, si alteruter ex contrahentibus religionem approbatam solemniter profiteatur, vel Summus Pontifex dispenset. 3. Certum est solam impotentiam perpetuam et antecedentem, sive naturalis sit, sive accidentalis, sive absoluta, sive respectiva, sive ante matrimonium contrahentibus nota fuerit, sive ignota, matrimonium dirimere utroque jure et naturali et ecclesiastico. Cum enim procreandae prolis causa nuptiae comparatae sint, ad essentiam matrimonii pertinet potentia perfectae copulae habendae, sine qua haud potest ipsius matrimonii usus et finis obtineri. Ad rem S. Thomas in 4 distinct. 34 quaest. unic. a 2 ad 1 : « Quamvis actus carnalis copulae non sit de essentia matrimonii, potentia tamen ad hoc est de ejus essentia, quia per matrimonium datur utrique conjugum potestas in corpore alterius

respectu carnalis copulae. » Cum igitur quaelibet res absque sua essentia naturaliter consistere nequeat, ex jure naturali irritum erit matrimonium, si ea sit ab initio viri aut mulieris imbecillitas, ut ipsum consummare non valeant. Huc etiam facit Regula Juris *impossibile nulla est obligatio*. Hinc Alexander III cap. QUOD SEDEM De frig. et malef. respondet Episcopo Ambianensi : « Sicut puer qui non potest reddere debitum, non est aptus conjugio, sic qui impotentes sunt, minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur. » Et Sixtus V in suis litteris CUM FREQUENTER ad Episcopum Novariensem apud Regem Hispaniarum Apostolicum Nuntium datis universim declarat, quod « secundum Canonum sanctiones et naturae rationem qui frigidae naturae sunt et impotentes, iisdem minime apti ad matrimonium contrahendum reperiuntur. » Regulariter autem in eisdem litteris de Eunuchorum matrimoniis sic edixit : « Fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut conjugia per dictos et alios quoscumque Eunuchos et Spadones utroque teste carentes cum quibusvis mulieribus defectum praedictum sive ignorantibus sive etiam scientibus contrahi prohibeas, eosque ad matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares, et tam locorum Ordinariis, ne hujusmodi conjunctiones de caetero fieri quoque modo permittant, interdices, quam eos etiam qui sic de facto matrimonium contraxerint, separari cures et matrimonia ipsa sic de facto contracta, nulla, irrita et invalida esse decernas. »

Jam vero si evidentibus signis, aut legitimis documentis certo constet, impotentiam adesse, eamque et perpetuam esse, et matrimonium praecessisse, statim vir et mulier separandi sunt. Si vero aliquod dubium exoriatur, natura et qualitas dubitationis expendenda est. Nam si dubitetur, utrum dicta impotentia matrimonium praecesserit, an subsequuta fuerit, tunc si ea naturalis sit et intrinseca, praecessisse praesumitur; quod enim a natura inest, semper adfuisse

censetur. Si vero accidentalis sit et extrinseca, matrimonium subsequutam esse praesumitur. « Cum enim, » ait Sanchez lib. 7 disp. 103 num. 5, « natura ipsa hominem illum potentem produxerit, asserenti eum aliquando impotentem fuisse, onus probandi incumbit, utpote cui adversatur praesumptio a natura ipsa descendens. » Quae praesumptio maxime valet, quando conjux de alterius impotentia diu post contractum matrimonium conqueri incipit : « Si enim reclamare voluit, cur tamdiu tacuit? cito enim et praevio tempore scire potuit, si secum coire potuisset. » Ita cap. ACCURSI DE FRIG. ET MALEF. At si constituerit de impotentia antecedente, et dubitetur utrum ea perpetua sit, an temporalis, tum locum habet celeberrima Constitutio Caelestini III cap. LAUDABILEM eod. in qua sic statuit : « Requisivisti quantum temporis indulgendum sit naturaliter frigidis ad experientiam copulae conjugalis? Nos vero praesenti consultatione sentimus, ut a tempore celebrati matrimonii, si frigiditas prius probari non possit, cohabitent per triennium. » Manente autem dubio haec a Sacris Canonibus sancita sunt : 1. Si vir a se cognitam uxorem contendat, mulier autem neget, viro affirmanti credendum est, quia vir est caput mulieris. Haec regula firmatur ab Alexandro III cap. CONTINEBATUR de Desponsat. impub. : « Consultationi tuae taliter respondemus, quod cum in decretis habeatur expressum, quod si vir dixerit, quod uxorem suam cognoverit, et mulier negaverit, viri standum est veritati : praefato viro qui dicit se mulierem ipsam cognovisse fides est habenda, si juramento id firmaverit. » Quod si mulier virum arguat mendacii et perjurii, seque virginem probari velit, inspectio decerni potest. « Cum partes, » inquit Gregorius VIII in cap. PROPOSUISTI de Probat., « essent in tua praesentia constitutae, mulier proposuit, se nec a viro cognitam, nec potuisse cognosci; quod tam proprio juramento, quam testimonio septem mulierum probaverit, quae per aspectum corporis eam esse virginem asseve-

rant, viro per juramentum suum contrarium asserente. Videtur igitur nobis quod juramento puellae, est testimonio illarum septem mulierum fides est potius adhibenda. » Contra vero si vir negaverit, mulier vero se cognitam esse contestetur, et aliae probationes pro viro non suppetant, videtur mulieri fides habenda esse, tum « quia vir, » ut observat S. Raymundus lib. 14 Summae tit. de Impotent. coeundi, « in ea hypothesi actor est, et si non probat quod asseverat, mulier cum sit rea, etsi nihil praestiterit, absolvi debet ab impetitione viri; » tum quia non praesumitur foeminam velle cum viro impotente cohabitare. 2. Si uterque conjux impotentiam fateatur, etiamsi triennium experimenti completum sit, eisdem juramentum defertur, ut omnis fraus aut collusio, quod ejus fieri possit, avertatur. Itaque uterque conjux cum septima manu parentum aut vicinorum bonae famae, si propinqui defuerint, tactis sacrosanctis Evangeliiis jurare debent, quod nunquam per carnis copulam una caro effecti sint. Conjuges autem de veritate, hoc est de certa scientia jurare debent, propinqui de credulitate, se nimirum credere quod conjuges bona fide et absque dolo matrimonium consummare nequiverint. 3. Soluta matrimonio ex capite impotentiae, alteri quae impotens non est, vel si impotentia respectiva sit, utrique parti conceditur transitus ad alias nuptias. Si vero post novas nuptias conjux, qui perpetuo impotens putabatur, subeundis matrimonii oneribus postmodum habilis inveniatur, matrimonium prius redintegratur juxta cap. LAUDABILEM et cap. FRATERNITATIS de Frig. et malef. Neque enim sententia in causa impotentiae lata transit in rem judicatam. 4. Si conjuges impotentes velint cohabitare tanquam frater et soror, id eis permittitur per cit. cap. LAUDABILEM, et cap. CONSULTATIONI eod. Unde colligitur matrimonium bona fide contractum a nemine posse, ex causa impotentiae, nisi ab ipsis conjugibus accusari. Quia vero haec fraterna societas plena periculi est, praesertim si

vir et mulier florentis adhuc aetatis sint, praestat agere ut ad separationem auctoritate Ecclesiae inducantur : quippe in eo casu praevalet jus naturale, quod jubet omnem peccandi occasionem declinari. Caeterum fraterna hujusmodi societas impotentium nullum jus tribuit in corpora, neque matrimonium est, quemadmodum Doctores communiter tradunt contra Paludanum, Pontium, aliosque paucos.

§ 191.

DE CLANDESTINITATE.

« Qui aliter, » statuit Trident. Synodus sess. 24 cap. 1 de Reform. Matrim. cland. « quam praesente Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat. Decernit insuper, ut hujusmodi decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primae publicationis in eadem Parochia factae numerandos. » Itaque in iis locis ubi hoc decretum publicatum est, nuptiae irritae et nullae sunt, quae sine Parochi vel sine duorum aut trium testium praesentia celebrentur. Nomine autem Parochi intelliguntur qui Ecclesiis Parochialibus praefecti sunt, sive eis praesint immediate, uti ipsarum Parochi; sive praesint mediate, uti Episcopi seu Ordinarii eorumque Vicarii Generales in suis Dioecesibus, Romanus Pontifex in toto terrarum Orbe, Legati a latere in suis Provinciis, Cardinales in Ecclesiis suorum titularum, Capitulum seu Vicarius Capitularis Sede vacante, tum illi demum qui Parochi vices agunt, uti Vicarii perpetui vel temporales. Hi enim omnes et valide et licite matrimonio assistunt, et licentiam assistendi dare

possunt aliis Presbyteris sive saecularibus, sive regularibus. Circa hanc delegationem prae oculis est habenda declaratio Congregationis Concilii, quam refert Gonzalez ad reg. 8 gloss. 47 n. 5 his verbis : « Non sufficit tacita licentia, quae resultat ex tolerantia, requiritur vero vel commissio generalis ad administranda Sacramenta, vel si haec absit, expressa vel specialis licentia. » Oportet autem ut delegati Sacerdotali caractere insigniti sint. Hanc enim qualitatem in delegatis ad assistendum matrimonio Tridentina Synodus diserte postulat. Eandem vero qualitatem cum Synodus in Parocho non requirat, inde fit ut Parochus, qui nondum Sacerdos est, matrimonio possit et valide et licite interesse. Valide etiam assistit matrimonio Parochus duntaxat aestimatus, cui scilicet Parochia invalide collata est ob defectum occultum, qui communiter tamen et vulgo verus Parochus existimatur ; tunc enim ob communem errorem et bonum publicum lex supplet defectum tituli, Argum. L. BARBARIUS ff. de Offic. Praetor. Similiter Parochus excommunicatus etiam vitandus, vel suspensus, vel a sacrorum ministerio interdictus, quoad Parochiali beneficio non privetur, valide matrimonio assistit ob eam rationem quia Parochus adhuc est.

Praeterea cum Synodus simpliciter praesentiam Parochi, non Parochorum requirat, neque exprimat an viri, an mulieris, receptum est quod alterutrius contrahentium Parochi praesentia sufficiat. Quanquam enim S. Congregatio Concilii an. 1571 lib. 1 Decret. pag. 125 interrogata : cujusnam Parochi praesentia requiratur ? Sponsine, an Sponsae ? responderit : « Ad matrimonii validitatem sufficere praesentiam solius Parochi proprii Sponsae, quando matrimonium in Parochia Sponsae contrahitur ; similiter sufficere praesentiam solius Parochi Sponsi, si in ipsius Sponsi Parochia contrahatur : » ipsa tamen Congregatio postea declaravit matrimonium valere, si Sponsi Parochus in Parochia Sponsae,

absque ejus Parochi licentia, matrimonio assistat, vel vice-versa : atque hoc decretum Summus Pontifex approbavit, sic in posterum responderi jubens, quod testatur Fagnanus in cap. Quod nobis de clandest. desponsat. Parochus autem qui in aliena Parochia assistit, si solemniter assistat, sponsisque nuptialem benedictionem impertiatur, illicite agit; quemdam enim quasi strepitum judicarium et solemnitatem adhibet, quod in alterius territorio minime licet. At si privatim et sine publica nuptiali benedictione intersit, licite assistit: idque a S. Congregatione Concilii declaratum fuisse testis est Fagnanus loc. cit. Tridentinum enim nihil expressit de loco celebrandi matrimonii, solamque Parochi proprii praesentiam postulat, in quo nullus est actus jurisdictionis contentiosae.

Ille autem censetur proprius esse Sponsae aut Sponsi Parochus, in cujus Paroecia Sponsus aut Sponsa domicilium aut quasi domicilium habet. Parochus enim originis ad assistendum matrimonio proprius non est, dum Sponsus aut Sponsa alio domicilium transtulerunt. Quod si quis duo domicilia in diversis Parochiis contraxerit, « in duobus autem locis potest aliquis habere domicilium, si utrobique ita instruxerit, ut non minus apud alteros se collocasse videatur, » ut loquitur L. Assumptio ff. ad Municipalem; quamvis consultius sit ut matrimonium coram illo Parocho inea- tur, in cujus Parochia tunc contrahens degit quum nubit; matrimonium tamen valet, si coram alterutro contrahatur; « qui habent duplicem Parochiam, » ait Sylvius in Sup. S. Thomae quaest. 45 art. 5, « regulariter videtur debere contrahere coram illo, in cujus Parochia manet tempore matrimonii contrahendi; quamvis si coram altero contraheret, videatur fore validum, quia etiam ille censetur proprius eorum Parochus. » Quae sententia communiter recepta est. « Post haec necessarium fore censemus, » verba sunt Benedicti XIV in Constit. PAUCIS AB HINC 19 Martii 1758,

« nonnihil adjungere, ut in propatulo sit quidnam requiratur ad domicilium adipiscendum. Verum hac in re non alio pacto responderi potest, nisi quod antequam matrimonium contrahatur, spatio saltem unius mensis ille qui matrimonium contrahit, habitaverit in loco ubi matrimonium celebratur. » Definitiones Congregationis Concilii hac de re observari poterunt apud Fagnanum in cap. SIGNIFICAVIT de Paroch.; ubi eorundem contextu perpenso haec habet sub num. 39: « Vir et mulier Trajectenses timentes impedimentum a Parentibus, cum ad vicinam Urbem Aquisgranam se contulissent, et ibi aliquandiu morati matrimonium contraxissent, S. Congregatio consulta super validitate censuit exprimendum tempus, quo contrahentes Aquisgranae manserunt, quod si fuerit saltem unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate. » Igitur ut valeat matrimonium, coram Parocho contrahendum est ejus loci in quo alteruter ex contrahentibus domicilium habet, aut quasi domicilium adeptus est. Quasi domicilium autem acquiritur facto et animo, hoc est adventu in aliquem locum, et intentione per aliquod tempus ibidem permanendi, et praeterea efflagitatur praevia unius saltem mensis in eodem loco habitatio, ut contrahentes jam cogniti et perspecti sint. Hinc si quis in fraudem legis, aut Parochi, aut si ad aliquas declinandas difficultates ex loco propriae habitationis transeat ad alium locum unius matrimonii celebrandi causa, et confestim matrimonio celebrato ad pristini domicilii locum revertatur, tum illicite, tum invalide contrahit, quae fuit sententia S. Congregationis Concilii in *quadam Abulen.* sub die 1 Decemb. 1640. At vero praedictum matrimonium, licet fraus in eo intercesserit, validum est, si antequam iniretur, domicilium aut quasi domicilium contrahens adeptus esset in eodem loco in quo contraxit; siquidem contrahens potest domicilium in aliquo loco habere, et quasi domicilium adipisci in alio loco, eique tunc integrum erit matrimonium inire coram Parocho loci,